



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

QUAE CHRISTIANOREGIONES GAMBIA ET MONS LEONINUS AB APOSTOLICA NUNTIATURA ABIDIANENSI SEPARANTUR ATQUE MONROVIENSI ADDUNTUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Quae Christiano nomini propagando atque saluti fidelium in regionibus ab hac Apostolica Sede longinquis degentium feliciter eventura videantur, Nos, pro gravissimo, quo fungimur, apostolico munere diligenti cupimus sollicitudine praestare. Qua de re, ut rei catholicae in Civitatibus Gambia, Monte Leonino, Gana, Guinea, Liture Eburneo, Liberia aptius consuleretur, visum est in Apostolicis Nuntiaturis apud easdem Civitates nonnullas mutationes sapienter efficere. Itaque e consulto Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque plenitudine Apostolicae potestatis, harum Litterarum vi, regiones Gambiam et Montem Leoninum ab Apostolica Nuntiatura Accraënsi, necnon Guineam ab Apostolica Nuntiatura Abidianensi separamus atque Apostolicae Nuntiaturae Monroviensi subicimus, contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragare; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Maii, anno MCMLXXIX,
Pontificatus Nostri primo.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a Publicis Ecclesiae Negotiis*